



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Concilivm Namnetense.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

chiepiscopi, cuius suffraganea prius erat Brema, super his Romam nuntios ad sanctissimum papam direxit Nicolaum. Ille vero, quod ecclesiastica necessitas persuasit, & quod patrum consiliis fieri posse comprobatum est, facile consensit. Ergo Bremensem ac Hamburgensem episcopatum apostolica auctoritate copulari, & deinde pro vno sanxit haberi. Idem etiam Nicolaus papa, tam ipsum Anscharium, quam successores eius legatos & vicarios apostolicæ sedis constituit in omnibus gentibus Danorum, Sueonum & Sclavorum, quod & antea Gregorius papa concessit.

Triburia
quæ &
qualis.

^b *Triburienſe.*] Sic dictum a Triburia, quam Trithemius in chronico Hirſaugientiſi ſic deſcribit: Triburia villa regia non longe a Moguntiaci ſuper Rhenum, quæ modo deſerta nullum priſtini honoris veſtigium tenet, præter muros caſtelli dirutos. Eſt autem inter Oppenheim & Moguntiam per Rhenum deſcendentibus ad manum dexteram, locus ubi quondam hæc villa imperialis cum caſtro & monaſterio pulcherrima ſita fuerant, pauculas modo habens domunculas ruſticorum. Et Lambertus Schaffnaburgentiſis: anno 1077. Principes Suenia & Saxonia Triburiam conuenerant, &c. rex Henricus contractis in vnum ſua partis aſſertoribus, in villa quæ dicitur Oppenheim ſe continebat, Rheni ſtuario utraq; caſtra dirimente. Male in catalogo curienſium, inquit Serarius, in Theodolpho Bruſchius, Triburgenſe prope Moguntiam. Peius qui corrigit Triburgenſe. Eſt alioqui Triburgum in VVeſtphalia, in annalibus Pithœi sæpe villa Tribuere. Regino Triburia vocat & Sigebertus. Eſt pagus quidam hodie modicus in orientali Rheni latere, nomine tamen antiquo Tribur & Trevvr, in quo quatuor aut quinque templa, in quibus & ſancti Albani vnum fuerunt. Plura vide apud Serarium hiſtoriæ Moguntinæ libro primo capite 33. ubi triplici de cauſa hoc inter Moguntina Concilia refert.

^c *Imperatore Arnulpho.*] De imperatore Arnulpho vide quæ dixi ſupra in vita Formoſi papæ.

^d *In memoriam.*] Hoc capitulum eſt vnum ex viginti tribus illis legibus, quas pro reformandis moribus ſubditorum ſuorum auctoritate ſedis apoſtolicæ per episcopos regni ſui, vt ſupra diximus, edidit Carolus Magnus; quaſque Sigonius libro quarto de regno Italia leges Mutinas appellauit. Vide Baronium anno 801. numero 10.

CONCILIVM NAMNETENSE.

TITVLI CANONVM.

- | | |
|---|--|
| I. De alterius parochiano, & de discordantibus ad Missam non recipiendis. | nas non habeat, ne illas quidem, quas Canones concedunt: & vt femina ad altare non accedant. |
| II. Quod alterius parochianum itineris vel placiti causa recipere ad Missam liceat. | IV. De visitandis infirmis a presbytero. |
| III. Vt sacerdos in domo sua femi- | V. De infirmis qui confitentur pec- |

ANNO
CHRISTI
...

- cata sua, & se reconciliari exposcunt.*
- VI.** *Vt pro sepultura nihil exigatur, & vt in ecclesia nullus sepeliatur.*
- VII.** *De clericis alterius parochia non ordinandis.*
- VIII.** *Vt nullus presbyter plures ecclesias habere presumat.*
- IX.** *De eulogijs populo dandis a presbytero.*
- X.** *Vt de decimis quatuor fiant portiones.*
- XI.** *De examinandis iis qui sacros ordines accepturi sunt.*
- XII.** *De penitentia adulterii.*
- XIII.** *De penitentia fornicationis.*
- XIV.** *De penitentia eorum, quorum alter est coniugatus.*
- XV.** *De quibusdam confraternitatibus.*
- XVI.** *Ecclesia vacans non est per ambitionem petenda.*
- XVII.** *De penitentia homicidii voluntarii.*
- XVIII.** *De penitentia eius qui non volens fecerit homicidium.*
- XIX.** *Ne feminae publicis conuentibus ac placitis se immisceant.*
- XX.** *De quodam cultu superstioso abolendo.*

C A N O N E S.

I.

VT dominicis & festis diebus presbyteri, antequam Missas celebrent, plebem interrogent, si alterius parochianus in ecclesia sit, qui proprio contempto presbytero ibi Missam velit audire. Quem si inuenerint, statim ab ecclesia eiiciant, & ad suam parochiam redire compellant. Similiter interrogent, si aliqui discordantes sint, qui inter se litem implacabilem habeant. Et si inuenti fuerint, statim reconcilientur. Quod si renuerint pacem suscipere, ab ecclesia eiiciantur, vsquequo ad caritatem redeant. Non enim possumus munus vel oblationem ad altare offerre, donec prius fratri reconciliemur. His ita peractis, sacerdotes Missarum solennia rite peragant.

9. quest. 2.
In dominicis.
l. 1. part. II.
cap. 122.

II.

Vt nullus presbyter alterius parochianum, nisi in itinere fuerit, vel placitum ibi habuerit, ad Missam recipiat.

9. quest. 2.
Nullus presbyter.
Lib. 1. Cap.
c. 153.

III.

Lib. 7. cap.
291.
luc. part. 6.
cap. 192.

Prohibendum, & modis omnibus interminandum est, vt nullus sacerdos eas personas feminarum, sicut & in Canone insertum continetur, de quibus suspicio esse potest, in domo sua habeat. Sed neque illas, quas Canones concedunt, (quia, instigante diabolo, etiam in illis scelus frequenter perpetratum reperitur, aut etiam in pedissequis illarum) scilicet matrem, amitam, sororem. Sed si quis de his habuerit talem necessitatem patientem, cui sit necessaria sustentatio presbyteri, habeat in vico, aut villa, domum longe a presbyteri conuersatione, & ibi eis subministret quæ necessaria sunt. Sed & hoc, secundum auctoritatem Canonum, modis omnibus prohibendum, vt nulla femina ad altare præsumat accedere, aut presbytero ministrare, aut infra cancellos stare, aut sedere.

IV.

Cum sacerdos audierit aliquem infirmari in sua plebe, quamcitus ad eum pergat, & ingressus cubiculum, aquam benedictam super eum & per omne cubiculum aspergat, cum antiphona, *Asperges me Domine*, & versu, *Exurgat Deus*. Deinde dicat orationem, *Deus qui sacerdotibus tuis tantam præ ceteris gratiam contulisti, &c.* Deinde cantet septem psalmos, cum precibus pro infirmis. Post hæc, omnes iubeat extra cubiculum secedere, & appropinquans lecto, quo infirmus decumbit, eum blande leniterque alloquatur, vt omnem spem suam in Deo ponat, vt flagellum Dei patienter toleret, vt hoc ad purgationem & castigationem suam proue-

ANNO
CHRISTI

ANNO
CHRISTI

nire credat, vt peccata sua confiteatur, vt emendationem promittat, si Dominus vitam concesserit: pœnitentiam pro culpis commissis spondeat: vt substantiam suam, dum adhuc sensus & ratio in eo vigent, disponat: vt peccata sua eleemosynis redimat, vt his qui in se peccauerunt indulgeat, vt rectam fidem & credulitatem teneat, vt de Dei misericordia nunquam desperet. Cum his & huiusmodi allocutionibus fuerit mens infirmi releuata, data benedictione recedat sacerdos, non post multum reuersurus, detque locum vt ægrotus de peccatis suis possit cogitare.

V.

Infirmus, qui necessitate mortis vrgente confitetur peccata sua, sub ea conditione a sacerdote reconcilietur, vt si ei Dominus vitam donauerit, sanitatemque reddiderit, secundum qualitatem delicti omnimodis pœniteat.

VI.

Præcipiendum, secundum Canonum auctoritatem, vt de sepulcris & hominibus sepeliendis nihil muneris exigant, nisi forte qui sepelitur, viuens iusserit ecclesiæ, in cuius atrio sepelitur, de suis aliquid tribuere; aut etiam post mortem illius, quibus commissum est eius eleemosynam facere, de rebus illius aliquid dare sponte voluerint. Tamen nullatenus a presbyteris illis aliquid exigatur, siue ab illis qui locis & vicis præsumt. Prohibendum etiam, secundum maiorum instituta, vt in ecclesia nullatenus sepeliantur, sed in atrio, aut in porticu, aut extra ecclesiam. Infra ecclesiam vero, aut pro-

13. quæst. 2.
Præcipien-
dum.
Ino part. 3.
cap. 22.

pe altare, vbi corpus Domini & sanguis conficitur, ANNO CHRISTI
nullatenus habeat licentiam sepeliendi.

VII.

Iuo part. 5.
cap. 208.

Can. 2.

Omnibus ministris ecclesiasticæ dignitatis interdici-
mus, vt nullus, quocumque munere aut fa-
uore corruptus, clericum alterius parochiæ la-
tenter aut furtiue ad ordinationem subintrodu-
cere præsumat. Quod si fecerit, iuxta Calchedo-
nense decretum, is qui ordinatus est, donum san-
cti Spiritus, quod furari conatus est, amittat: &
qui mediator extitit, si clericus est, proprio gra-
du decidat, si laicus aut monachus, anathemati-
zetur.

VIII.

Iuo part. 3.
cap. 51.

Sicut enim episcopus non plus potest habere,
quam vnã ciuitatem, & vir vnã vxorem, ita
presbyter vnã tantum ecclesiam. Itaque nullus
presbyter plures præsumat habere ecclesias: nisi
forte alios presbyteros sub se in vnaquaque habeat,
qui nocturnum atque diurnum officium solen-
niter adimpleant, & Missarum celebrationes quo-
tidianis expleant ceremoniis.

IX.

Vt de oblationibus, quæ offeruntur a populo,
& consecrationi supersunt, vel de panibus, quos
offerunt fideles ad ecclesiam, vel certe de suis,
presbyter conuenienter partes incisas habeat in
vasè nitido, vt post Missarum solennia, qui com-
municare non fuerunt rati, eulogias omni die do-
minico, & in diebus festis exinde accipiant, & il-
la, vnde eulogias presbyter daturus est, ante in
hæc

ANNO
CHRISTI
...

hæc verba benedicat. ORATIO. Domine sancte pater omnipotens æterne Deus, benedicere digneris hunc panem tua sancta & spiritali benedictione, vt sit omnibus salus mentis & corporis, atque contra omnes morbos & vniuersas inimicorum insidias tutamentum. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, panem vitæ, qui de cælo descendit, & dat vitam ac salutem mundo, & tecum viuit & regnat, &c.

X.

Instruendi sunt presbyteri, pariterque admonendi, quatenus nouerint decimas & oblationes, quas a fidelibus accipiunt, pauperum & hospitem & peregrinorum esse stipendia, & non quasi suis, sed quasi commendatis vti. de quibus omnibus sciant se rationem posituros in conspectu Dei, & nisi eas fideliter pauperibus & his qui præmissi sunt administrauerint, damna passuros. Qualiter vero dispensari debeant, Canones sancti instituunt: scilicet vt quatuor partes inde fiant, vna ad fabricam ecclesiæ releuandam, altera pauperibus distribuenda, tertia presbytero cum suis clericis habenda, quarta episcopo reseruanda, vt quidquid exinde iusserit, prudenti consilio fiat.

Lib. 7.
cap. 290.
Iuo part. 3.
cap. 204.

XI.

Episcopus quando ordinationem facere disponit, omnes qui ad sacrum ministerium accedere volunt, feria quarta ante ipsam ordinationem euocandi sunt ad ciuitatem, vna cum archipresbyteris, qui eos præsentare debent. Et tunc episcopus

Dist. 24.
Quando
episcopus.
Iuo part. 6.
cap. 21.

Concil. Tom. 24.

Rrrr

pus e latere suo dirigere debet sacerdotes , & alios ANNO CHRISTI
 prudentes viros , gnaros legis diuinæ , & exercita-
 tos in ecclesiasticis sanctionibus , qui ordinando-
 rum vitam , genus , patriam , ætatem , institutio-
 nem , locum vbi educati sunt , si sint bene literati ,
 si in lege Domini instructi , diligenter inuestigent.
 Ante omnia , si fidem catholicam firmiter teneant ,
 & verbis simplicibus asserere queant. Ipsi autem ,
 quibus hoc committitur , cauere debent , ne aut
 fauoris gratia , aut cuiuscumque muneris cupidi-
 tate illecti , a vero deuiant , vt indignum & mi-
 nus idoneum ad sacros gradus suscipiendos episco-
 pi manibus applicent. Quod si fecerint , & ille qui
 indigne accessit , ab altari remouebitur , & illi ,
 qui donum sancti Spiritus vendere conati sunt ,
 coram Deo iam condemnati , ecclesiastica digni-
 tate carebunt. Igitur per tres continuos dies dili-
 genter examinentur , & sic sabbato , qui probati in-
 uenti sunt , episcopo repræsententur.

XII.

Si cuius vxor adulterium perpetravit , & hoc
 a viro deprehensum fuerit & publicatum , dimit-
 tat vxorem , si voluerit , propter fornicationem :
 illa vero septem annis publice pœniteat . Vir ve-
 ro eius illa viuente nullatenus aliam accipiat . Quod
 si voluerit adulteram sibi reconciliare , licentiam
 habeat : ita tamen , vt pariter cum illa pœniten-
 tiam agat , & exacta pœnitentia , post septem an-
 nos ad communionem vterque accedat . Similis
 forma & in muliere seruabitur , si eam vir eius a-
 dulteravit .

XIII.

Si qua mulier non habens virum, aut vir non habens vxorem, fuerint fornicati, tribus annis pœniteant.

XIV.

Quod si vir non habens vxorem, alterius vxorem adulterauit, aut si qua mulier non habens virum, cum alterius viro: ille qui fœdus violauit coniugii, septem annis, vt supradictum est, pœniteat: ille qui lege coniugii non tenetur, quinque annis pœniteat. Neque enim æqualis pœnitentia danda est his, quibus sufficere poterat ad explendam libidinem suam coniugum amplexus, & illis qui coniuge carentes, ardore libidinis impellente, in fornicationem ceciderunt.

XV.

De collectis, vel confratriis, quas consortia vocant, sicut verbis monuimus, & nunc scriptis expresse præcipimus, vt tantum fiat, quantum relictum ad auctoritatem & vtilitatem, atque ad salutem animæ pertinet. Ultra autem nemo nec sacerdos, neque fidelis quisquam, in parochia nostra progredi audeat. Id est, vt in omni obsequio religionis, videlicet in oblatione, in luminariis, in orationibus mutuis, in exequiis defunctorum, in eleemosynariis, & ceteris pietatis officiis. Pastos autem & comessationes, quas diuina auctoritas vetat, vbi & grauedines, & indebitæ exactiones, & turpes ac inanes lætitiæ, & rixæ, sæpe etiam, sicut experti sumus, vsque ad homicidia, & odia, & dissensiones accidere solent, adeo penitus interdiciamus, vt qui contra hoc

Concil. Tom. 24.

Rrrr ij

decretum agere præsumpserint, si presbyter fuerit, ^{ANNO} vel quilibet clericus, gradu priuetur: si laicus est, ^{CHRISTI} aut femina, ab ecclesia vsque ad satisfactionem separetur. Conuentus autem talium confratrum, necesse si fuerit vt simul conueniant, aut forte aliquis contra parem suum discordiam habuerit, quem reconciliari necesse sit, & sine conuentu presbyterorum & ceterorum esse non possit, post peracta illa quæ Dei sunt, & Christianæ religioni conueniunt, & post debitas admonitiones, si contigerit vt veræ caritatis & fraternæ inuicem consolationis omnes ad refectionem conueniant, sic talia fieri permittimus, vt seruata modestia, & temperantia, & sobrietate, pacisque concordia, sicut decet fratres, in ædificationem fraternitatis, & laudem & gloriam Dei, & gratiarum actiones fiant. Et hoc omnino caueatur quod Saluator ait: *Videte ne grauentur corda vestra in crapula & ebrietate. Qui voluerint, eulogias a presbytero accipiant: & panem tantum frangentes, singulos accipiant biberes, & nihil amplius contingere præsumant. Et sic vnusquisque ad sua cum benedictione Domini redeat.*

Luc. 21.

XVI.

Iuo part. 3.
cap. 169.

Ut si quilibet presbyterorum defunctus fuerit, vicinus presbyter apud sæcularem seniore nulla precatatione, vel aliquo xenio, ecclesiam illam obtineat, quia titulus per se constans antea extitit, sed neque capellam sine consultu episcopi. Quod si fecerit, definitam sententiam sibi prolatam suscipiat, sicuti de episcopo canonica decreuit auctori-

ANNO
CHRISTI

tas, vt si per ambitionem maiorem ciuitatem appetierit, & illam perdat quam tenuit, & illam nequaquam obtineat quam vsurpare tentauit.

XVII.

Si quis voluntarie & per insidias hominem interfecerit, iugi se pœnitentiæ submittat. Et si hoc publice actum constat, si laicus est, a communione orationum quinquennio remoueatur: post quinquennium, tantum in orationum communionem recipiatur, non autem offerat, non corpus Domini contingat. In quo perdurans quatuordecim annis, tunc ad plenam communionem cum oblationibus recipiatur. *Si quis de industria & per insidias occiderit hominem, ab altari meo euelles eum, vt moriatur, dicit Dominus.*

Iuo part. 10.
cap. 145.

Exod. 21.

XVIII.

Si quis casu non volens homicidium perpetravit, quadraginta diebus in pane & aqua pœniteat. Quibus peractis, biennio ab oratione fidelium segregetur: non communicet, nec offerat. Post biennium in communionem orationis offerat, non tamen communicet: post quinquennium ad plenam communionem recipiatur. Abstinentia ciborum in arbitrio sacerdotis maneat.

Iuo part. 10.
cap. 145.

XIX.

Cum Apostolus dicat: *Mulieres in ecclesia taceant, non enim permittitur eis loqui: turpe est enim mulieri loqui in ecclesia*, mirum videtur, quod quædam mulierculæ, contra diuinas humanasque leges attrita fronte impudenter agentes, placita generalia & publicos conuentus indefinenter adeant,

Iuo part. 7.
cap. 103.
1. Cor. 14.

& negotia regni, vtilitatesque reipublicæ magis perturbent, quam disponant: cum indecens sit, & etiam inter barbaras gentes reprehensibile, mulieres virorum causas discutere: & quæ de lanificiis suis, & operibus textilibus, & muliebribus, inter genitriarum suas residentes, debuerant disputare, in conuentu publico, ac si in curia residentes, senatoriam sibi vsurpant auctoritatem. Quæ ignominiosa præsumptio fautoribus magis imputanda videtur, quam feminis. Vnde, quia diuinæ leges, vt supra monstratum est, hoc contradicunt, & humanæ nihilo minus id ipsum prohibent, vt feminæ nihil aliud prosequantur in publico, quam suam causam: (ait enim lex Theodosiana: Nulla ratione feminæ amplius quam suas causas agendi habeant potestatem, nec alicuius causam a se nouerint prosequendam;) idcirco ex auctoritate canonica interdiciamus, vt nulla sanctimonialis virgo, vel vidua, conuentus generales adeat, nisi a principe fuerit euocata, aut ab episcopo suo: nisi forte propriæ necessitatis ratio impulerit, & hoc ipsum cum licentia episcopi sui.

Interpret.
L. v. Cod.
Th. De cognitor. &
procur.

X X.

Iuo Part.
ii. cap. 38.

Summo decertare debent studio episcopi, & eorum ministri, vt arbores dæmonibus consecratæ, quas vulgus colit, & in tanta veneratione habet, vt nec ramum vel furculum inde audeat amputare, radicitus excidantur, atque comburantur. Lapidem quoque, quos in ruinosis locis & siluestribus dæmonum ludificationibus decepti venerantur, vbi & vota vouent & deferunt, fundi-

ANNO
CHRISTI

tus effodiantur, atque in tali loco proiciantur, vbi nunquam a cultoribus suis inueniri possint. Et omnibus annuntietur, quantum scelus sit idololatria: & quod qui hæc veneratur & colit, quasi Deum suum negat, & Christianitati abrenuntiat, & talem pœnitentiam inde debet suscipere, quasi idola adorasset. Omnibusque interdicitur, vt nullus votum faciat, aut candelam, vel aliquod munus pro salute sua rogaturus alibi deferat, nisi ad ecclesiam Domino Deo suo. Scriptum est enim: *Vouete & red-^{psal. 75.} dite Domino Deo vestro.* Nouimus siquidem quanta Dominus antiquo populo per prophetas suos interminatus est, qui in lucis sacrificabant, & in excelsis immolabant. Si quis hoc transgressus fuerit, fidem perdidit, & est infideli deterior. Et idcirco omnimodo a sanctæ ecclesiæ consortio abscidatur, & nisi digne pœnituerit, non recipiatur.

NOTA IACOBI SIRMONDI
SOCIETATIS IESV.

* *Concilium Namnetense.*] De epocha huius Concilii sine auctoritate pronuntiare difficile est. Sed cum duo eius Canones, III. & X. inde translati videantur in librum VII. capitularium, antiquius omnino dici necesse est, quam existimarint ii, qui sub annum Christi DCCCC. collocandum censuerunt. Quod si quis ad Concilium illud Namnetense referri velit, quod Vitaliani papæ temporibus sub annum DCLVIII. magna episcoporum frequentia celebratum ex Flodoardo didicimus, liberum esto iudicium.

V I T A

STEPHANI PAPÆ VI.

ANNO
CHRISTI
897.

STEPHANVS sextus successit Formoso: Bonifacius
Senim, qui inuadens sedem apostolicam tenuit eam
diebus quindecim, non est numerandus inter pontifices;

Bonifacius
inuasor fe-
dis.